

NOTAS Y COMENTARIOS

Certamen Capitolinum XXII

Institutum Romanis studiis provehendis, auspiciis Summo litterarum artiumque apud Italos Curatore et Romanae civitatis Magistro, ad novum prosae Latinae orationis certamen omnes omnium gentium Latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium maiestate facundiaeque sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, honorificentissimum Romanae civitatis munus, in basi victoris nomen atque annum et diem certaminis praefereens. Huic sigillo Summus litterarum artiumque liberalium Curator quingenta denariorum Italicorum milia ex aerario adici iussit.

Ceteri petitores, qui digni habiti sint, laude ornabuntur. Ex iis autem qui victori proximus de agone discesserit, argento nummo decorabitur, a civitate Romana item donato, qui in antica parte Capitoli imaginem, in aversa litterati viri nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri Summus litterarum artiumque liberalium Curator ducenta et quinquaginta milia denariorum Italicorum ex aerario iussit addi.

Exitum certaminis a. d. Kal. Mai. a. MDCCCCLXXI, die Urbis natali, in aedibus Capitolinis, Romanae civitatis Magister in oratione, quam de more habiturus est, renuntiabit.

Scripta quae praemio ornabuntur typis excudenda, si visum erit, curabit Institutum Romanis studiis provehendis, ac proinde post annum tantum integrum erit auctoribus eadem in lucem edere.

LEGES CERTAMINIS

I) Fictis fabellis, commentariolis historicis, disputationibus philologicis, denique omni prosae eloquentiae genere certare licet: sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum Certamen requirit. Scripta quibus petitores certabunt ne puerorum gymnasiis sint destinata, ne mille et quingentis verbis breviora, *ne prius in lucem edita, ne alio praemio ornata neve laude, neve ex alio sermone sint conversa*. Petitores omnes licebit certamen adire *uno libello*.

II) Quinque libellorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue exarata vel typis excusa et tabellariorum diligentiae commendata mitant scriptores aemuli ad *Istituto di Studi Romani — Ufficio Latino — Piazza dei Cavalieri di Malta, 2 — 00153 Roma* a. d. XVIII Kal. Febr. proximi anni non suo tamen distincta nomine ne in integimento quidem, quo conclusa sunt, sed sententia munita, quae eadem inscripta sit scidulae obsignatae, nomen domiciliumque scriptoris exhibenti.

III) Quinque viri iudices erunt a Summo litterarum artiumque liberalium Curatore et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Hi post iudicium scidulas resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententias praeferant. Scripta non probata, si repetita, reddentur: sin minus, una cum scidulis obsignatis, tertio exacto mense post iudicium publicatum, delebuntur igne.

D. Roma Kal. Iun. a. MDCCCLXX ab V. c. MMDCCXXIII.

PETRVS ROMANELLI
PRESES INSTITVTI